Pſal. 103. Angelom. quam habebat in animo, in miniſterio vult exhiberi. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus & miniſtros ſuos ignem urentem.* Pſalm. 103. num. 4. *Spiritus, & ignem dicit, ut in omnibus celeritatis, & promptitudo denotetur.* Ita Angelomus.

Apoc. 10. n. 2. Et habebat in manu ſua libellum apertum, & poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram.

VERSIONES.

Syrus	Et habebat in manu ſua
Primaſius.	Et habebat in manu librum valde exiguum.
Strabus.	Tenebátque manu librum

EXPOSITIO II.

43. Græcus. ET *habebat in manu ſua libellum apertum.* Græcus habet valde diminutivum; id eſt librum multùm exiguum; qui tamen infrà numero nono & decimo dicitur, ac proinde hic liber erat doctrinæ ſacræ, & Catholicæ Sanctorum Patrum, ac Doctorum quæ in initio erat veluti contenta in libro exiguo, poſtea verò in multos libros excrevit, ut dicam quæſtione ſequenti.

44. *Quid pes ſuper terram vel mare.* *Et poſuit pedem dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram.* Quia Doctores, ac Prædicatores Evangelici in hoc Angelo ſignificati, non ſolùm perveniunt, ac penetrant ad habitantes in terris, ſed etiam ad in inſulis remotiſſimis degentes; vel quia pede ſuo dextro, qui fortior eſt, fortiſſimè conculcant procelloſa maria, ac tempaſtates hæreticorum contra Eccleſiam exortas; & etiam altero pede, & generosè conculcant terrenos, eorúmque vitia, ac cupiditates.

QUÆSTIO V.

Quare iſte Angelus, non librum, ſed libellum, & apertum tenebat manu?

45. Græc. LIbellus, ut jam dixi, & patet ex radice Græca, idem eſt, ac liber exiguus & parvus, & hic in præſenti dicitur libellus, & poſtea idem ſimpliciter dicitur liber. num. 8. 9. & 10. quod nobis grande denotat myſterium. Quid ergo hic liber ſignificet, & contineat, eſt quæſtio.

46. *Chriſtus quæ docet operatur.* Et in limine quæſtionis notandum eſt, quod iſte liber non erat clauſus, ſed apertus in manu; & cur ad majorem majeſtatem, ac apparatum, hic liber erat expanſus, ac apertus, in tribunali quodam, vel menſa, ſed in manu; per manum communiter operatio deſignatur; inde jure optimo, hic Angelus, qui juxta graves Doctores, Chriſtus Dominus erat, de quo dixi quæſtione 2. librum doctrinæ habet in manu, nam quæ ipſe docet, manu operatur, & adimplet, ſic obſervat Albertus Magnus. *Doctrinæ impletio eſt*, ait, *& habebat librum in manu, cepit enim Jeſus facere, & docere*, Actorum 1. Idem habet D. Thomas. *Habet librum in manu, quia, quod docet in Scriptura, & quod prædicavit, opere complevit.* Albert. Mag. Actor. 1. D. Thom.

47. Ad quæſtionem, Reſpondent Priǹò Cornelius, Ribeira, Menochius, La Haye, quod hic liber eſt ille de quo agitur, capite 5. numero 1. qui ſcilicet ſignatus eſſet ſeptem ſigillis, quæ omnia jam penè reſerata ſunt ab agno, unde nunc aperitur liber, & apertus affertur. S. Joanni infrà numero 9. ut legendus & ſcribendus ab eo In favorem hujus ſententiæ facit, id quod notat Ansbertus, quod de hoc Angelo, ut ille tenet eſt Chriſtus Dominus: dicitur *facies ejus erat ut Sol*; quia ſacra myſteria, quæ nobis erant clauſa, & abſcondita, lumine vultus Chriſti nobis ſunt aperta, & reſerata, ſic ait Ansbertus. *Notandum, quod niſi prius facies Angeli, ut Sol refulſiſſet; libellus apertus in manu non eſſet: at Angelus de cœlo deſcendens, claritate vultus ſui librum aperuit.* *Niſi Chriſtus revelet myſteria, nullus percipiet.* Ansbert.

48. *Impugnatur.* At hæc ſententia non ſubſiſtit. Si enim jam penè omnia reſerata ſunt, ut dicunt illius Auctores, non ergo omninò omnia reſerata ſunt: ergo nondum totaliter apertus eſt liber, ſufficit enim ad hoc quod totus liber non ſit apertus, quod aliquid illius remaneat clauſum, & obſignatum: Secundò. Quomodo ille liber factus eſt hîc libellus, non erat libellus in dextera Dei capite 5. num. 1. ſed liber, non eſt ergo ille iſte libellus. Apoc. 5.

49. Andr. Cæſ. Secundò, Reſpondet Andræas Cæſarienſis. *Libellus hic*, ait, *hominum nequam, & ſceleratorum nomina, & acta continere videtur, cujuſmodi inter cæteros ſunt, qui latrocinia in terra, & piraticam in mari exercent: aut quovis alio modo impietati ſtudent, quorum ſupplicium per hoc inſinuat Angelus, quod inflammatos pedes ſuper terram, & ſuper mare extendit.* Et in hac ſententia etiam ſunt Ribeira, & Menochius; libellus ergo iſte continebat delicta, ac crimina, quæ committuntur tam in mari, quàm in terra, & ideò iſte Angelus habebat pedes tanquam columnas igneas, ad conterendos peccatores, ac delinquentes, tam in terra, quàm in mari, ac remotiſſimis inſulis; ex quo habes præclarum documentum quod Chriſtus Dominus, cujus perſonam gerebat hic Angelus, non punit etiam nequiſſimos, niſi poſito ante oculos libro, in quo continentur eorum crimina, de quibus judicandi ſunt. Ribeira. Menoch. *Chriſtus ut puniat prius legit crimina.*

50. *Impugnatur.* Hæc ſententia quamvis ad mores inſerviat, tamen non eſt germana ad literam, nam ſupplicia, quibus impii puniendi ſunt, niſi pœnitentiam agant, maximè in ſex præcedentibus tubis explicantur, & patet ex proximo c. 9. n. 20. & 21. ad quid ergo hîc traduntur in libro ſcripto Joanni Et ſi jam manifeſta erant ad quid nunc legenda traduntur in libro.

51. S. Anſelm. Tertiò, Divus Anſelmus ait, *quod in iſto libro continentur omnes Scripturæ, vel reparatio generis humani per ipſum ſcilicet Chriſtum, opere adimpleta*

Præ vi amoris Chriſtus opera ſua reputat parva. *adimpleta.* Et quamvis hæc ſententia moraliter inſerviat ad explicandam celſitudinem amoris Chriſti, qui tam magna, ac præclara opera, præ vi amoris, ſic parva, & exigua reputavit, ut in brevi libello deſcriberentur, tamen hæc ſententia non explicat, cur hoc modo dicitur libellus & poſtea liber.

52. *Vera ſententia proponitur.* Genuina ſententia eſt, quod cùm iſte Angelus ageret perſonam Doctorum, ac Prædicatorum Catholicorum, iſte libellus continebat doctrinam ſacram Apoſtolicam Romanam, qua Eccleſia Dei maximè illuſtratur, & ita noſter Joannes faciendum vidit, quod nos factum vidimus: nam ipſa doctrina Catholica in exordio erat brevis, ut eſſet veluti libellus, poſtea verò à Commentatoribus, ac conſequentibus Doctoribus, maximè eſt adaucta, ut jam evaderet magnus liber; ſic in Petro Lombardo Patrum Theologia eſt libellus; ſicut & Theologia moralis in Gratiano; & etiam Theologia in Sancto Thoma, Divo Bonaventura, Scoto, & aliis, quæ poſtea à magnis Doctoribus explanata, facta eſt magnus liber; Idem dici poteſt de doctrina myſtica & ſpirituali. Ex quibus patet nos deveniſſe ad illa tempora, quæ in ultima parte hujus capitis denotantur, ut poſtea videbimus; Libellus ergo iſte continet ſacram doctrinam ſive Theologicam, ſive Canonicam, ſive Moralem, ſive Myſticam quibus Eccleſia Dei fulget, & nitet, ac animæ fidelium in viam ſalutis diriguntur; & hæc ſententia eſt de mente D. Thomæ.

53. *Status Eccleſiæ militantis reſpectu triumphantis minimus.* D. Thom. Ipſe Angelicus Doctor aliam rationem aſſignat, ob quam non dicitur liber, ſed libellus; Quia Eccleſia militans per doctrinam hujus libelli inſtruitur, & cùm hæc Eccleſia reſpectu triumphantis minima nuncupari poſſit, ideo reſpectu illius, doctrina Eccleſiæ militantis dicitur diminutivè libellus; ſic ait Divus Thomas: *Dicit libellum, & non librum propter ſtatum Eccleſiæ: qui per hunc librum informatur: quia ſcilicet præſens ſtatus Eccleſiæ modicus eſt reſpectu ſtatus futuri in gloria. Matth. 11. qui autem minor eſt in regno cœlorum, major eſt illo.*

54. *Verus Magiſter quietè & pacatè agit.* Altè tamen conſidera, quod Angelus iſte, imò juxta aliquos quæſtione 2. Angelus Angelorum Princeps eſt, & portat libellum in manu ſua, ut homines doceat & inſtruat in doctrina ſacra, ſimul pro teſſera Iridem in capite geſtet. *Iris in capite ejus.* Quænam connexio datur inter libellum, & iridem, inter doctrinam, & arcum? Iris ſymbolum pacis eſt; *arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis.* Gen. 9. numero 13 Hoc ergo amicitiæ ſigno divinus ...am Magiſter docens venit, ut nos admoneat Dei ſcolam pacatè agere, manſuetè, ac quietè diſſerere, nam magiſter piè ſapiens, non eſt pervicax ſuo cerebro, ſed quietè pacem colit, ac morſus fugit. Ex quo Apoſtolus Jacobus admonet. 3. num. 17. *Quæ de ſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta.*

Suos diſcipulos inſtruens Chriſtus Dominus dicebat eis. *Habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos.* Marc. 9 numero 49. Quid Sal cum pace? Imò Sal videtur repugnans paci. nam olim ſpargentibus Sal, bellum denuntiabatur; ad quid ergo divinus Magiſter ſimul commendat Sal, & pacem. Nemo neſcit ſapientiam rerum Sale ſignificatum eſſe, ut explanat Theodoretus ad Coloſſenſes 4. num. 6. Inſtituit bonus Dominus ſuos diſcipulos, ut quæ dicunt, & docent, pacatè explicent, non tumore Phariſæo, nec bili hæretica, nam qui pacatè, ac quietè docet, aliorum animos allicit, ac trahit, & eos facilè devincit ad veram ſapientiæ doctrinam, ex quo dicebat Theodoricus lib. 1. Epiſt. 27. *Si tranquillos optent adverſarios, certè volunt eos eſſe victores.* Theodoric.

56. Poſtquam Philippus vocatus eſt à Chriſto cùm obvius factus fuiſſet Nathanaëli, viro doctiſſimo in lege, & Prophetis, Jeſum filium Joſeph à Nazareth; Reſponditque ei Nathanaël: *à Nazareth poteſt aliquid boni eſſe.* Cúmque eum adduxiſſet Philippus ad Chriſtum; & Jeſus vidiſſet Nathanaël venientem ad ſe ait de illo, *Ecce vere Iſraëlita, in quo dolus non eſt.* Joan. 1. numero 47. Quæſivit Nathanaël unde eum Dominus agnoſcebat: Aitque ei Jeſus, *Cùm eſſes ſub ficu vidi te.* numero 48. Tunc exclamat Nathanaël *Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex Iſraë'*, numero 49. Unde tanta vis Chriſto eſt ad victoriam de Hebræo legum perito? ſciebat Nathanaël convitium eſſe à ſe dictum in Chriſtum, nec poſſe convitium eſſe occultatum Magiſtro, qui ſuſurronem cum Philippo viderat ſub ficu, & auram captaſſe, inde benè colligit Chriſtum, verè Magiſtrum eſſe, qui acerbè morſus, non morderet ſuſurrantem, ſed laudaret: D. Chryſoſtomus homilia 29 in Joannem *Ecce verè Iſraëlita, ex quo maximè illum ſibi conciliavit, cùm ex eo non reprehendit, ſed laudibus perſecutus eſt.* Divinæ enim ſapientiæ argumentum eſt pacatè agere, non contentione, ſed ratione diſſerere Joan. 1. *Magiſter injuria affectus ſi non iraſcitur, adducit diſcipulos.* D. Chryſ.

57. Eccleſ. 1. *Falſus Magiſter cùm vincitur argumento, injuriosè clamat.* Longè aliter prophana ſapientia ſe habet, ut ait Eccleſiaſtes à numero 8. *Eo quod in multa ſapientia multa ſit indignatio.* Facilè debacchatur Philoſophus, qui ſuperbè tumet, dum ſe videt convictum, rationum efficaciam injuriis declinare contendit. Docebat Jeſus Judæos, & eorum obſtinationem magno rationum pondere convincit, tandem colligit. *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Joan. 8. n. 47. Quid tunc auditores reſpondent. *Nónne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes.* Ibidem num. 48. Cur tam dira, ac acerba injuria contra divinum Magiſtrum ſic inſurgunt? cùm ſuperatos ſe viderent à divino Doctore, probris non argumentis ſecare conantur rationum nervos, quibus ſatiſfacere non poſſunt Rupertus eleganter lib 9 in Joannem. *Igitur* ait, *quia cauſa ceciderunt, & ratione ſuperati ſunt, furiosè ad convitia prorumpunt. Quomodo ſi Athletam fortiſſimum victus, & ſolio dejectus adverſarius, quia ferire non poteſt armis, petat ſpumoſis dentibus.* Joan. 8. Rupertus.

QUÆSTIO VI.

Quare Angelus poſuit pedem dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram, quatuor ſententiæ proponuntur.

58. NOn poſuit Angelus ſuos duos pedes ſuper mare, vel ſuper terram, ſed unum, & dexterum ſuper mare, alterum verò, & ſiniſtrum ſuper terram, in quo magna myſteria denotantur, quæ à nobis ſunt ſcrutanda.

59. Andr. Cæſ. Ribeira. Menoch.

Primò, Andiæas, cui ſubſcribunt Ribeira, & Menochius: Inquiunt, quod Angelus unum pedem ponit ſuper mare, alterum ſuper terram, ut pœna indicetur latrocinantium in terra, & piratarum in mari verſantium, ut ita ſignificetur, nihil eſſe tam diſtans, ac remotum, ut Domini ſui pedes, ejus conculcationem effugere valeat; itaque non ſolùm habitantes in terra, ſed etiam in inſulis remotiſſimis degentes ejus ſupplicia vitare non poterunt; & ponit Angelus pedem dextrum ſuper mare, ſiniſtrum verò ſuper terram; quia pes dexter fortior eſt, & in iis, qui magis latent, & remotiores ſunt magis Chriſti pedis fortitudo, & ſupplicia ejus offenduntur, cùm ne illi quidem qui in tam remotiſſimis inſulis vivebant, ab ejus ira liberari non poterant, ſicut illi qui in terris erant: at hæc ſunt accommodatitia & non genuina; nec Angelus iſte tanto apparatu, ac inſtar Solis venit ad ſupplicia inferenda.

Impugnatur.

60. S. Anſelmus.

Secundò D. Anſelm. Cantur. ſic ait: *Poſuit pedem ſuum* (ſcilicet per Prædicatores) *dextrum* (*firmiorem nempe*) *ſuper mare, id eſt, fluxiores in peccatis, ſiniſtrum autem, id eſt, minus fortes ſupra terram, ſuper eos, qui aliquantulum deficiebant, & ſi non perfectè.* Per mare intelligit S. Doctor eos, qui facilè in peccata labuntur; ſicut per terram, quæ ſolidior eſt, eos, qui minus facilè delinquunt: pes autem dexter fortior eſt ſiniſtro, ut jam notavi; ecce cur poſuit pedem dextrum ſuper mare; quia ubi major eſt neceſſitas, ibi major virtus adhibenda, majori autem indigent virtute Dei, qui facilè in peccata ruunt; ex quo moraliter conjice quod iſte Angelus perſonam Chriſti agens cur non potius ad inſtar Moyſis virga percuſſit mare. Exod. 14. n. 21. & virga percuſſit pulverem terræ. Exod 8. n. 16. ſed tantum levi tactu ponit pedes ſuper mare, & terram S. Procluſ. ſerm. de Transfig ſic alloquitur ad Petrum. *Moyſes aliquando iratus eſt: & baculo percutiens mare diviſit. At verò Magiſter Deus ſuper mare ambulans, tibi Petre profundum pervium fecit.* Ecce cur Chriſtus veniens contra peccatores non verberat virga mare & terram, ut Moyſes agens contra Pharaonem, valdè enim humana poteſtas diverſam ſe habet à divina: nam in divina relucet lenitas levi tactu; in human rigor, & aſperitas virga & baculo.

Ubi major indigentia, ibi major virtus adhibenda.

Exod 14. Exod 8. S. Procluſ.

In divina natura lenitas, in humana aſperitas.

61. Pannon. D. Ambr. Anſbertus. Richard. Ribeira. Cornel.

Tertiò, Pannonius, Ambroſius, Anſbertus, Richardus, quam ſententiam, ut genuinam ſequuntur Ribeira, Cornelius, & alii; Inquiunt per pedes Domini, ſignificari Concionatores; & poſuit Angelus unum pedem ſuper mare, id eſt, populum Gentilem in cultu multorum Deorum, in amaritudine multorum vitiorum quondam fluctuantem, & alterum ſuper terram, id eſt Judæos ſcilicet terrenis, rebus, ac cupiditatibus deditos; & dexter pes ſignum eſt felicitatis ſicut ſiniſter ſignum adverſitatis, & infortunii, ideo Angelus poſuit pedem dextrum ſuper populum Gentilem, ſiniſtrum autem ſuper Judaïcum; quia relictis Judæis propter ſuam duritiem, ad Gentilem tranſivit, quem adamavit. Joachimus Abbas intelligens per ſiniſtrum Vetus, ſic ait: *Benè dextrum pedem poſuit ſuper mare, ſiniſtrum verò ſuper terram, quia ſicut junior Ephraim tactus dextera, Prælatus eſt Manaſſe tactus ſiniſtra.* Gen. 38. n. 27. *Ita Novum Teſtamentum licèt eſſet poſterius tempore; dignitate tamen factum eſt primum.*

Joachim. *Teſtamentum Novum dignitate excellentius Vetere.*

62. Alcazar.

In hac ſententia etiam eſt Alcazar, qui vult hîc ſignificari Chriſtũ relictis Judæis pergere ad Gentes: nam inceſſus incipit à dextro pede ut proinde eo pergatur, quo movetur dexter pes, cùm ergo mare Gentiles ſignificet, & terra Judæos, & mittat iſte Angelus in mare pedem dextrum, mox retracturus ſiniſtrum à terra, ut in hoc ſignificaretur Chriſtus recedere à Judæis, & ad Gentes proficiſci.

63. Hugo. *Ingratitudo Deum ab hominibus relegat.*

In hac ſententia eſt Cardinalis Hugo, *Super mare, ait, poſuit pedem dextrum, quia Gentilitatem illuminans, ad beatitudinem convertit; & ad unius Dei cultum. Siniſtrum autem ſuper terram; quia, qui fuerant terra culta per legem, propter ſua ſcelera, & propter ingratitudinem excæcari permiſit* Reddit ſapientiſſimus Doctor rationẽ ob quam ſic Deus repulit dilectum populum ſuum Iſraël, de quo dicebat; *qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*, tantæ repulſæ, cauſam dedit ejus ingratitudo erga tot accepta Dei beneficia, ideò Deus ab eo recedit, quod canit Regius Vates Pſalm. 80. num 12. *Non audit populus meus legem meam, & Iſraël non intendit mihi.* D. Anſelmus. *Ingratus de tot beneficiis, nec intendere voluit.* Unde in pœnam tantæ ingratitudinis ſequitur. *Et dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum.*

Pſalm. 80. D. Anſelm.

64. Geneſ. 3.

Poſt peccatum primi parentis, venit Dominus quærens Adam, qui *cùm audiſſet vocem Dei deambulantis, abſcondit ſe Adam, & dixit ei*, ubi es Gen. 3 n. 9 Quomodo fieri potuit, quod ille, qui ſua immenſitate omnia complet, potuerit ſic ab homine removeri, ut locum in quo Adamus commoratur, inquirat. Peccatum primi hominis extitit ingratitudo, ut tenet Rupertus, & tanta vis eſt ingratitudinis ad Dei obligationem, ut immenſus, quodammodo ſua adæta immenſitate mutilari videatur, ut quoad ſpeciem ſecundùm noſtrum dicendi modum effigiat ingratos ab eiſque recedat: Divus Gregorius lib. 1. Mor. cap. 13. *Quia vidit, ait, in culpa la ſum, cum ſub peccato velut ab oculis veritatis abſconditur, quaſi ubi ſit peccator ignorat, eúmque vocat & requirit, ubi es.*

Rupert. D. Gregor.

65. Hæc tamen omnia myſtica & accommodatitia ſunt, non genuina, nam ænigma perſiſti in incepto de Sanctis Doctoribus, ac Prædicatoribus, eorúmque doctrina, & hic non eſt ſermo de receſſu Dei à perfidi Judæis ad Gentes, de quo multis aliis in locis agitur.

QUÆSTIO

QUÆSTIO VII.

Vera ſententia ponitur circa Angeli pedes dexterum in mari, ſiniſtrum in terra.

66. *Propria ſententia.* Viegas. Ferrarius.

JAm nunc vera ſententia eſt, quam ex aliqua parte tradunt Viegas, & Ferrarius, quod Angelus iſte repræſentabat Doctores, ac Prædicatores Eccleſiæ, & ponit pedem dexterum, qui eſt fortior ſuper tempeſtuoſum mare Hæreticorum, ſiniſtrũ verò, qui imbecillior videtur ſuper terram plenam auro, hoc eſt ſuper terrenos homines; ſuis cupiditatibus deditos.

67. *Pes dexter ſuper mare Hæreticorum ſiniſter ſuper terram deliciarum.*

Angelus mittit dexterum pedem in mare tempeſtuoſum, cùm ſacri Doctores diſputant, confutant, ac comprimunt omnes procellas Hæreticorum commotas contra ſanctam Eccleſiam Catholicam; ſemper enim Deus in Eccleſia ſua dedit robuſtiſſimos Doctores contra agitatum mare Hæreticorum. Contra Sabellium, Arrium, Eunomium; providit Athanaſium, Nazianzen. Baſilium, Hilarium. Contra Pelagiũ, Auguſtinum, & Ambroſium oppoſuit. Contra Luther. & Calvin. magnos Patres in ſacro Conc. Trident. Et ſic fortiſſimus pes dexter Doctorum; tanquam firmiſſima columna, turbulentum mare Hæreticorum conculcat, & comprimit. Pes verò ſiniſter ponitur ſuper terram, dum ſacri Prædicatores terrenis voluptatibus homines deditos arguunt, & reprehendunt, qui faciliùs, ac ſuaviùs, & minori vi quàm hæretici trahuntur; & frequenter in Scriptura per terram homines terreni, ſuis cupiditatibus intelliguntur. Matth. 24. n 5. Auguſt. ſerm. de verb Dom. in monte.

Matth. 14. D. Auguſt.

68. *Doctores contra hæreticos.*

Angelus ergo ſignificans ſacros Doctores, ac Prædicatores ponit pedem dextrũ ſuper mare tempeſtuoſum, ac temulentum erroribus hæreticorum ad eos ſua doctrina conculcandos, & compeſcendos, quod prædictum eſt à Regio Vate Pſal. 88. n. 10. *Tu dominaberis poteſtati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas.* Hoc eſt, ut rectè explicat D. Hier. *Tu dominaris hujus ſæculi poteſtatibus, & mitigas tentationes, quas commovent ſervis tuis.*

Pſal. 88. D. Hieron.

Canit idem Propheta Pſal. 92 n. 4. *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus* D. Auguſtinus pro eo quod nos habemus *Mirabiles elationes maris*, legit ipſe, *Mirabiles ſuſpenſuræ maris.* Quomodo hæc poſſunt compati, cùm maris elationes, ac exaltationes, videntur repugnare, cum ſuſpenſionibus, ac humiliationibus maris; denotatur, quod Prædicatio Evangelica in proceloſo mari Hæreticorum non ſit obruenda, ſed potius vincens omnes elationes æſtuantes maris contra Eccleſiam; cui ipſius veritates Evangelicæ erunt ſuſpendendæ, & cõpeſcendæ D. Auguſt. *Mirabiles elationes maris*, ſeu ut ipſe legit *mirabiles ſuſpenſuræ maris, mirabilis in altis Dominus, ſuſpenſuræ*, inquit, *exaltationes maris ſunt: cum enim iraſcatur mare, ſuſpendantur fluctus; mirabiles igitur ſuſpenſuræ maris; mirabiles minæ, mirabiles perſecutiones; ſed vide quid ſequitur, mirabilis in altis Dominus: turbatur mare, fluctuat navicula, venit Dominus, ſuper mare ambulavit, hoc eſt, ſuper capita iſtorum fluctuum agnorum ſpumantium, quoniam poteſta-*

—Sylveira in Apocalypſi n. *To n. I.*

tes, & reges crediderunt, & ſubjugati ſunt Chriſto.

70. Pſal. 106.

Idem Regius Vates, Pſal. 106. num. 23. ait *Qui deſcendũt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis: Ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia ejus in profundo.* Quem locum de ſanctis Doctoribus, ac Prædicatoribus cõmuniter exponunt Patres, ut videre eſt apud Lorinum, & ait Propheta. *Qui deſcendunt mare.* Nã ut ait Hugo, Doctores, ac Prædicatores ex alta Dei contemplatione debent deſcendere ad hoc ſæculum: *in navibus*, hoc eſt, ut explicat D. Hier. in ſuo officio ac ſua dignitate Epiſcopali, ſacerdotali, ſeu religioſa. *Quaſi navis inſtitoris.* Prov. 31. num. 14. *facientes operationem.* Interlinealis Prædicatio eſt; *in aquis multis* cõtradictionum, ac adverſitatum Hæreticorum. *Quid inde factum eſt. Ipſi viderunt opera Dei, & mirabilia ejus in profundo.* In ipſo proceloſo profundo controverſiarum, ac diſputationũ cum hæreticis, ipſi ſancti Doctores clariùs viderũt, & intellexerunt, *Opera Dei, & mirabilia ejus.* Tantùm abeſt, quod hæretici ſuis falſis dogmatibus obſcurarent fidẽ Catholicã, quod tunc Sãcti Patres eam altiùs explanantes, & indagantes, apertiùs ipſa mirabilia Dei cognoſcerẽt, & apprehenderẽ. D. Hilarius libro 7. de Trinitate ſub initium *Proprium*, inquit, *Eccleſia eſt ut tunc vincat, cùm læditur; tunc intelligat cùm arguitur, tunc obtineat cùm deſeritur.* Quò plures emerſerũt hæreſes, atque ſectæ, eò plures Deus Eccleſiæ ſuæ dedit Doctores, qui veritatẽ Catholicam altiùs diſputarent, & profundiùs verbo, ſermone ſcriptis, libris explanarent, & nobis præviam, ac manifeſtam facerent ſanctã ac veram doctrinam Ecce ut habet ænigma Angelus ponit pedem dextrum, ut columnam igneam firmiſſimè ſuper mare hæreticorũ ut eos comprimat, conterat, ac in cinerem redigat.

Lorin. Hugo. Prov. 13. Inter lineal. *Veritas Catholica dum impugnatur magis clareſcit.* D. Hilar.

Apoc. 10. *n.* 3. Et clamavit voce magna quemadmodum cùm leo rugit, & cùm clamaſſet locuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas.

Num. 4. Et cùm locuta fuiſſent ſeptem tonitrua voces ſuas, ego ſcripturus eram, & audivi vocem de cœlo dicentem mihi, ſigna quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua, & noli ea ſcribere.

VERSIONES.

Syrus Oecum. num. 4. Quemadmodum cùm leo rugit.

Arius. Locuta ſunt ſeptem tonitrua ſuas ipſorum voces.

Syrus n. Et cùm locuta fuiſſet ſeptema tonitrua ſcripturus fuiſſem, & audivi vocem è cœlo dicentem, ob ſigna hæc, &c. & ea ne ſcribe.